



# The Holy See

---

PAULUS PP. VI

***NUNTIUS GRATULATORIUS  
AD BERNARDUM S.R.E. CARDINALEM ALFRINK,  
ARCHIEPISCOPUM OLIM ULTRAJECTENSEM,  
QUINQUE POST LUSTRA  
EX QUO ORDINATUS EST EPISCOPUS***

Mox, quemadmodum accepimus, vicesimum quintum celebrabis annum expletum, ex quo sacrorum Antistes es electus; qui dies anniversarius opportunitatem tibi praebet Deo gratis agendi pro spiritualibus muneribus, quae Ipse per hoc temporis spatium tibi est largitus. Sine dubio etiam magnitudinem et intimam significationem officii episcopalnis sueto acrius perpendes. Est enim amplissimum, quippe quod ad aedificandam et constabiliendam Ecclesiam tributum sit iis, quos Dominus vocavisset. Etenim «Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, est "oeconomus gratiae supremi sacerdotii", praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerri curat, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia» (*Lumen Gentium*, 26; cfr. *Unitatis Redintegratio*, 2).

Nos ergo, hunc natalem Episcopatus tui tecum recolentes, laetamur sane, quod tibi datur huius ipsius iubilaei gaudio perfiri, gratulandum tibi pandimus animum Nostrum, fraternalm caritatem significamus.

Qua oblata occasione mens Nostra etiam ad universos Praesules, sacerdotes, religiosos et Christifideles Neerlandienses convertitur, quibus amorem, quo eos in Deo prosequimur, libenter testamur. Nos denique «Dominum et episcopum episcoporum» (Cfr. S. AUGUSTINI *Serm. 32, 8: Sermones post Maurinos reperti*, Romae 1930, p. 570) enixe rogamus, ut te egregiis donis propitiationis suae locupletet, suavi solacio iucundet atque diu sospitet. Adsit tibi etiam beatissima Virgo Maria, quae est certissimum praesidium eorum, qui in ecclesiastico ordine sunt constituti.

Quae vota confirmet Apostolica Benedictio, quam tibi, necnon Venerabili Fratri Nostro Ioanni Cardinali Willebrands, tuo in sede Ultraiectensi successori, Episcopis, clero, fidelibus et cunctis,

qui sollemnibus ob iubilaeum tuum indictis intererunt, volentes impertimus.

*Ex Aedibus Vaticanis die XIV mensis Maii, anno MCMLXXVI, Pontificatus Nostri tertio decimo.*

**PAULUS PP. VI**

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana